dnm et pondus eius ferre non potuit. Fallax gratia simulatorum gratia vana decor operis stultorum. Ecclesia autem que inter moras incolatus sui tempore conversatur. quia ardentes virtutum lampades venienti ad iudicium suo sponso offeret. merito ab eo laudata ianuam cum eo regni celestis intrabit. Qualiter autem eam laudet. terminali versu docetur. Date ei de fructu manuum suarum. et laudent eam in portis opera eius. Hec sunt enim verba viri illius. de quo dictum est et vir eius laudavit eam. id est dominus et salvatoris nostri. qui angelis in fine precepturus est. ut ecclesiam post huius vite certamen. post triturationem afflictionum terrestrium. ad celestis regni gaudia introducant. ac vite immortalis sibi sociam aggregent iuxta illud evangelicum. triticum autem congregate in horreum meum. Date ei inquit de fructu manuum suarum. quia fructum spiritus ferre curavit. karitatem. gaudium. benignitatem. bonitatem. modestiam. continentiam. fidem. patientiam. propter hoc illi debitam rependite mercedem. Et laudent eam in portis. hoc est in iudicio sive in ingressu patrie celestis. non hominum favores supervacui. sed opera ipsa que fecit. examinante. probante. ac remunerante illo cuius hec donante gratia perfecit. A quo ut laudari mereamur in futuro. concedat ipse propitius. nos cum dignis in presenti collaudare vel sua servitiis. A M E N. Explicit liber III.

[illegible]

De penitentia Salomonis

Salomon salvatus sit

Solet queri de Salomone an sit perditus. quem reprobatum testatur beatus Augustinus. in expositione illius psalmi. Nisi dominus edificaverit domum. ita dicens. Nam ipse Salomon mulierum amator fuit. et reprobatus est a deo. et usque adeo laqueus fuit illi cupiditas. ut a mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur. De eodem Iheronimus in XVII libro super Ezechielem facit mentionem dicens. Quamvis Salomon peccasset tamen egit penitentiam. scribens proverbia ubi dicit. Novissime ego egi penitentiam. et respexi ut eligerem disciplinam. Item Iheronimus super ecclesiasten. Aiunt Iudei hunc libellum esse Salomonis. penitentiam agentis. Ambrosius in apologia David. Quid dicam de David et de sancto Salomone. qui quoniam vulgus iudaicum existimabat eum venisse pro Christo. ne videretur esse super hominem. nutu divino corruit. Et David non dei sanctus dicitur. quia ab omnibus sanctus scitur. et Salomonem sanctum nominat. ut nobis de penitentia eius dubietatem tollat. Aiunt libri hebrei Salomonem quinquies tractum fuisse per plateas Ierusalem causa penitentie. Item aiunt eum venisse in templum quod ipse edificaverat